



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quae pertinent ... ;
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ
aliæ, quæ ad Operis ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1732

Decreti erectionis Confraternitatis Doctrinæ Christianæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

nitati, juxta constitutionem fel. record. Clem. Papæ VII. prædecessoris nostri fuerint aggregata, nec absque aggregatione hujusmodi gratiarum, & Indulgentiarum prædictarum participes ullo modo esse possint.

§. 31. Declarantes nihilominus, quod cum una Confraternitas Doctrina Christiana unius Civitatis aggregata fuerit, intelligantur, & sint omnino aggregatae reliquæ omnes utriusque sexus ab Ordinario loci erecta, & erigenda, earumdemque Indulgentiarum, & gratiarum prædictarum participes sint. Non obstantibus &c. datum &c. 6. Octobris 1607.

101 Ulterius Pius V. concedit omnibus Christianis, qui confraternitati adscripti sunt Indulgentiam quadraginta annorum, toties quoties, vel doceant, vel discant doctrinam Christianam, & in ea docenda, & discenda occupati sint.

Gregorius XIII. indulgentias prædictas confirmavit, & alios centum dies adjunxit.

102 Clemens VIII. concessit confratribus utriusque sexus primo die eorum ingressus, dummodo confessi sint, & communione refecti, nec non in articulo mortis, eo modo quo concessit Paulus V. in supra relata Bulla §. 9. indulgentiam plenariam.

103 Similiter idem Pontifex omnibus confratribus, qui exercitantur in hoc pio opere, tertia Dominica cujuslibet Mensis, confessis, & verè pœnitentibus, & communione sacra refectis, orantibus, pro Principibus Christianis, extirpatione hæresum, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ indulgentiam plenariam largitur.

104 Item omnibus Confratribus, qui intersunt Congregationibus, aut docent Doctrinam Christianam, toties quoties in his occupati sint, centum dies de vera Indulgentia concedit.

Quas Indulgentias referunt Synodus Fartensis in Appendice pag. 474. Ætina secunda pag. 1. 8. Synodus Cesenaten. pag. 335.

105 Erectio autem Confraternitatis ab Ordinariis locorum facienda in Visita-

tionem, vel extra, fieri poterit modo sequenti.

FORMULA

Decreti erectionis.

Considerantes nos jure optimo tam à Sacr. Concilio Trident. quàm à pluribus Summis Pontificibus Statutum, & jam à sæculo, & ultra maximo Ecclesiæ Dei bono observatum fuisse, ut pueri, & puellæ singulis Dominicis, & aliis festivis diebus, fidei rudimenta, obedientiam erga Deum, & Parentes aliasque Christianas virtutes ab iis ad quos spectat, edocerentur, ut hac ratione qui ad Mundi voluptates sequendas natura proni sunt, Christiana pietate eruditi de virtute in virtutem proficientes, Christi Domini imitatores efficiantur, atque cum hoc consilio nonnulli probitatis viri zelo charitatis accensi pro Divini cultus augmento, in quibusdam Ecclesiis hujus nostræ Civitatis: pueros, & adultos quoscumque summa pietate, & diligentia Doctrinam Christianam docere satagant; pro nostro Pastoralis Officii munere hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac uberiores post hac perventuros speramus, ex animo amplectentes, illudque in hac nostra Civitate, & Diocesi augeri cupientes, Congregationem sive Confraternitatem, sub Doctrina Christiana nomine dictorum proborum hominum utriusque sexus in albo descriptorum, qui in dicto pio opere exercentur in nostra Cathedrali Ecclesia N. perpetuè erigimus, & autoritate nostra ordinaria erectam esse volumus, & declaramus, ac instituimus, eique sic canonicè erectæ, & institutæ administratorem, & Protectorem Capitulum Canoniorum ejusdem Cathedralis constituimus, & depuramus, cum facultate adhibito consensu D. Protectoris statuta pro felici regimine d. Confraternitatis, licita tamen, & honesta concedendi, & quoties opus fuerit, inmutandi, quæ tamen nostræ, & suc-

successorum nostrorum moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant, ad formam Constitutionis 115. Clementis Bapæ VIII. Et ita erigimus, institimus omni, &c. datum, &c.

N. Episcopus N.

N. Cancell. Episcopalis.

Facta erectione, procuranda erit aggregatio à supradicta Archiconfraternitate Urbis ad hoc, ut Confratres participes esse possint de indulgentiis à Paulo V. concessis, quæ aggregatio postquam obtenta fuerit, ceteræ Confraternitates Diocæsis hujus nominis, non indigent ad dictum effectum alia aggregatione, ut habetur in supra relata Bulla §. 31. & ad removendum omne dubium declaravit Sac. Congreg. Indulgentiarum sequenti decreto.

Cum Venerabilis Archiconfraternitas Doctrina Christiana posita in Ecclesia S. Martini de Urbe, Sac. Congregationi Indulgentiarum humiliter exposuerit, sepius à nonnullis dubitatum fuisse, an attentata Bulla San. mem. Pauli V. edita, quæ incipit: Ex credito satis sit, ut una Confraternitas ejusdem instituti in aliqua Civitate aggregetur, ad hoc, ut cuncta alia similes Confraternitates ab Ordinario loci erecta, seu erigende, aggregata pariter censeantur, vel potius insuper requiratur, ut singule Confraternitates, quæ in tota Diocæsi eriguntur, ab Archiconfraternitate seorsim aggregationem suscipiant: Cumque pariter supplices preces porrexerint, ut Eminentiss. P. P. ea de re suum Oraculum proferre dignarentur: Eadem Sac. Congregatio, etiamsi verba prædictæ Bullæ satis clara viderentur: Tamen ne ultus in posterum dubii locus superesset, die 23. Martii 1711. declaravit sufficere, ut aliqua Confraternitas Doctrina Christiane in una Civitate Archiconfraternitati aggregata sit, ad hoc, ut cuncta alia ab Ordinario loci in tota Diocæsi erecta, seu erigende aggregata censeantur, & omnium spiritualium gratiarum, & Indulgentiarum, quibus dicta Archicon-

fraternitas fruatur, participes sint. Datum 26. Martii 1711.

I. M. Card. Gabriellius Præf.

Raphael Cosmus de Hieronymis Sec.

Ut autem Ordinarii locorum, & Confratres quarumcumque Confraternitatum, quæ aggregati cupiunt Archiconfraternitatibus Urbis tam Sæcularium, quam Regularium, edocti sint de expensis, quæ fiunt pro aggregatione obtinenda, & ne indebitè graventur, datur subnexum Decretum.

Congregatio Illustrissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium à Sanctiss. D. N. Paulo Divina Providentia Papa V. Indulgentiarum moderationi præfecta, cum acceperit nonnullos Archiconfraternitatum Almae Urbis Ministros in litteris patentibus Aggregationum expediendis mercedem à Confraternitatibus aggregandis, eorumve procuratoribus præterdere, & extorquere, contra fel. record. Clementis Octavi hoc de genere edita constitutionis dispositionem, qua expressè cautum fuit, ut littera hujusmodi ab Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede etiam à sponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant; si verò illorum Ministri Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati, quavis autoritate, privilegio, & officio fungantur, & præfulgeant, contravenire præsumpserint, elevationes, institutiones Indulgentiarum, &c. communicantes, nec non aggregationes, per ipsos faciendæ, seu revocandæ nullius sint roboris, ac momenti, & quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, & Officialium, & aliorum prædictorum, privationis Officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnam, quæ ab alio, quam à Romano Pontifice remitti non possit, incurrat eo ipso; Ne abusum hujusmodi ulterius serpere, ipsaque Archiconfraternitates sumptibus propterea faciendis minimum gravari patiantur, specialis Sanctitatis suæ ordine vi-